Ad Cardinalitiam

Quaestio medica matutinis Disputationibus agitanda die Jovis 26a Junii In Scholis Medicorum Paris. 347

M. Petro Lafilaeo D. Regis Medico et Decano Moderatore prudentiss.

An omnium Arthriticorum eadem Curatio?

Curandi rationem non solum idea morbi, sed etiam causa sedesque facit dissimilem. Quod patet exemplo unius Arthritidis, quae nec ab uno fonte prodit, nec unam solum partem obsidet. Τὸ ἄρθρον sedem illi parat, nomenque tribuit haud obscurum, sive motum habeat evidentem. Proinde quot sunt articuli tot eius differentiae constituuntur. Ex quibus tres sunt praecipuae: Podagra, quae paulatim a pedibus ad genua progreditur: Chiragra, quae ab humore fere calido nascitur: Ischias omnium atrocissima, in qua dolor profundus moto crure sentitur. Sunt et aliae frequentes, quae a genu, cubito, et humero nomen sortiuntur. Quod si multos simul articulos afficiat, proprie Arthritis nuncupatur. Quae tum extrema censetur, cum genae, vertebrae et costarum juncturae cruciantur.

Gravis sane et importunus hospes, et qui notum saepius et assuetum frequentat hospitium, quam incognitum. Nec tamen in omnes pariter aut quavis tempestate tam immanem exercet tyrannidem. Invadit enim rarius egenum quam divitem, sicuti mulierem quam virum, sed illam infestat diutius. Neque vero solum eidem parcit ante menstruorum suppressionem, sed etiam puero ante usum venereum. Castratione minus Eunuchos aggreditur. Contra senibus magis est familiaris, quibus si per circuitus repetat, vere et autumno potius reverti solet: nisi ante malo imminenti occurratur.

Quacunque in sede consistat, duplicem habet causam, articuli imbecillitatem, et humoris affluxum. Neque alterutra malo procurando satis est, et nec sola siccitas. Illa si sit congenita, parentum Arthriticorum aegro semini accepta fertur. Alioquin frigore aut calore externo, labore, otio, balneis frequentibus, venere, casu, ictu, morbo aliquo contrahitur. Qui humor affluit saepe acer est, et biliosus, interdum pituitosus cum bile mixtus, raro syncerus aut melancholicus. Colligitur autem ingluvie, vita intemperanti, multo vino, et ganea, desidia, suppressione alicuius vacuationis. Neque vero solum a capite sed etiam ab hepate, et toto corpore per venas et arterias defluit in articulum, atque in eius spatia partesque vicinas ita insinuat, ut tendines membranasque saepiusque inflammatos dolorem pariat acerbissimum: citra tamen periculum convulsionis, aut suppurationis.

Situs doloris morbi speciem indicat, qui in Ischiade ad extremum pedem usque porrigitur. Qualitas vero humoris deprehenditur ex diaeta praecedenti, aeris constitutione, tempestate, sexu, aetate, colore, vario effectu, topicorum experientia, et urinae iudicio. Sic calidam materiam testantur partis calor, rubor, et pulsatio (praeterquam in Ischiade) acer dolor, qui calidis admotis exasperatur, frigidis remittitur. Contra frigidam arguunt tumor aedematosus, color albicans, et dolor mediocris, mali diuturnitas. Quibus accedunt aetas senilis, ~~[illegible]~~ sexus muliebris, tempus hybernum, deses vita, alimentorum et temperamentum frigidum, topicorum calidorum euphoria et utilitas. Quae signa pro varia humorum mixtione confunduntur.

Cum igitur Arthritidis duo sint tempora, unum laboris, alterum quietis; hic praecautione opus est, illic curatione. Prophylactica praecipua sunt, vita frugalis, vini et veneris abstinentia, purgatio frequens peccanti humori analoga. Venae phlebotomia si corpus sit plethoricum, balnea naturalia, pyrotica. Saevientis doloris principio remedium est venae sectio e parte sana opposita. Purgatio vero tuta non est initio nisi ex mitioribus catharticis. At fluxione consistente, et ubi frigidus est humor, validioribus vacuantibus. In Ischiade praescribuntur Emetica cum acribus enematis: cui etiam secta saphena* prodest, sicut et cucurbitula loco affixa. Topica dicantur materiae aut symptomatis. Illa gaudent initio repellentibus, praeterquam in Arthritide venerea quae fit per congestionem, et quavis Ischiade. Post statum vero et in frigida materia locus est discutientibus. Inter symptomata dolor mitescit anodynis, sedatur narcoticis: tophus oppugnatur malacticis. Ischias vix cedit nisi fortioribus fomentis, dropaci, phoenigmis, cauterio. Quae omnia parum prosunt, nisi toti corpori consulatur. Ergo

*In cox

non est igitur Arthriticorum omnium eadem Curatio.

Afferebat Claudius Rabeux Haduensis anno Domini. 1603.

B.I.U.M. BIBLIOTHÈQUE